

## Wien, Österreichische Nationalbibliothek (ÖNB), Cod. 4311

Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars I. Wien 1793.

651

C O D I C E S

652

A fol. 210. literis purpureis: Firmiani lactantii ad Donatum de ira dei liber incipit. Neque hic in Capita sectus. Fol. 211. p. 2. absunt verba illa: prodeesse non posse. item fol. 226. illa: Sed defertur aliunde usque ad moveri. Fol. 228. p. 2. male: resipiscendi sui.

A fol. 231. rursus purpura: Firmiani lactantii ad demetrianum de opificio hominis liber incipit. Rursus item continuus. Fol. 232. p. 2. probe: oculis contrectari, item paullo post: pellibus texit, pro pilis. Fol. 234. p. 2. prob: boues lucas legitur interpunctum boues: uaccas. Sub finem fol. 250. p. 2. adest illa περιμονη: dedit ei et constituit aduersarium — uictus prostratusque discedit, quam ut Manichaeismum redolentem Editione Parisina suprac. ex textu expunxit.

Fol. 252. absque inscriptione legitur elegans illud de Phoenice Carmen incerti Autoris, quibusdam in Lactantium, Barthio in Venant. Fortunatum, Sirmondo in Theodulphum Aurelian. incli-

nantibus. Incipit, ut notum: Est locus in primo felix oriente remotus &c. et finit: Eternam uitam mortis adepta bono. Contulit illud jam Lambecius cum Xysti Betuleji et Mich. Thomasii edit. Lactantii, illa Basilei 1563. f. hac Antwerp. 1587. 8. et lectionis varietatem adnotavit Comment. L. II. p. 788. edit. Kollar. col. 600. quo remittimus.

Fol. 254. p. 2. sequuntur de Phoenice versus XII. ex Metamorph. Ovidii L. XV. a v. 391 — 402. descripti, quibus l. cit. idem officium Lambecius exhibuit. Demum fol. eod. Codicem terminat absque titulo Venantii Fortunati Carmen Paschale incipiens: Salve festa dies toto uenerabilis quo &c. quod Distichon Editores Parisini non sat gravi ratione XIX. aliis postposuere; adjecere praeterea Mich. Thomasium fecuti in fine Disticha V. ex Cod. Vatic. quae absunt a nostro; variantes item lectiones in margine. Fefellit illos tamen Distichon ultimum in voce Pastor, quod ex nostro sic restituitur:

Quos prius euā nocens infecerat: bos modo reddit  
Ecclesie pastos ubere lacte sinu.

CCIX. VI. J. 14.

528 Codex chartaceus lat. Sec. XV. Folior. 208. 4. sat nitidum et non contemnendum vetusti cuiusdam Exempli Απογεαφον, quod olim Job. Sambuci fuit, complectitur L. Caecil. Firmiani Lactantii Divinarum Institutionum Li-

bros VII. absque sectione in Capita, Locis graecis manu recentiore eleganti subpletis, et Scriptorum veterum, quibus Autor utitur, in margine adnotatis non minibus. Collatione cum edit. Parisina Bruni et Lengleti 1748. 4. instituta praeter leviores Librarii lapsus sequentia observare vi-

sum

2025-07-01

## Wien, Österreichische Nationalbibliothek (ÖNB), Cod. 4311

Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars I. Wien 1793.

653

## P A T R I S T I C I .

654

sum est. L. II. initio abest *Constantine Imperator*, et legitur *coniunctis manibus pro convictis inanibus*. Cap. 9. nobis fol. 48. p. 2. non habetur interjectio illa *Arium redolens*: *Sicut mater sine exemplo genuit autorem suum &c.* neque post verba mox sequentia: *hoc opus mundi*, altera illa: *Fecit in principio bonum et malum &c.* Similiter ignorat *Codex longum illum excusum*, cuius initium: *Cur autem justus Deus tam voluerit esse &c.* quique inter verba *ad Deum deferat* et *Exodus igitur Deus in quibusdam Codd.* inculcatus est. L. IV. initio rursum *Constantini* adpellationem defideres, et sub finem Cap. ult. invenias *Arrianos* reliquis Sectariis adnumeratos. L. V. initium *αποστοφην* ad *Constantinum* habet. Eod. Cap. 1. nobis fol. 129. p. 2. deest in *Cod.* illud: *Mella sunt haec venenum tegentia.* Et paulo post illud: *Nec enim plus impuris spiritibus quam sancto licet.* Cap. 11. nobis fol. 140. legitur:

*Domitius de officio proconsulis libro septimo.* L. VI. initio Noster: cuius afferende atque illustrande causa michi et scientiam et fidem ipse dominus noster imposuit, quam lectionem neque *Bunemannus*, neque Editores nostri in suis *Codd.* reperisse videntur. L. VII. cap. 5. nobis fol. 190. post verba: *et cum deo semper*, omittitur tota illa oratio, quae insit: *Neque nunc aliquis eo configiat &c.* et statim orditur Cap. 6. *Nunc totam rationem &c.* Similiter cap. 26. nobis fol. 201. p. 2. Perorationem illam ad *Constantinum* Imp. quae incipit: *Sed omnia jam, sanctissime Imperator &c.* totam *Codex* ignorat. Atque haec sufficiant Lectori ad judicium de eo ferendum, quem *Sambucus* paene intactum reliquit, nisi fortasse ab ejus manu sint *Loca graeca* subpleta, et pauculae Animadversiones margini injectae, quae tamen non lectionem Textus, sed res a *Laetantio* dictas respiciunt. *Tetragraphov* subjectum Librarii est.

*Laeteus eloquio laetantius equore longo  
Explicit instituens uera prophana uetans.  
Hoc pelagus pennis superauit: iam tibi uirgo  
Stella maria maris munera laudis ago.*

CCX. VIII C. 2

185 Codex membraneus lat. Sec. X. Folior. nunc 166. f. probe exaratus, notaeque melioris complectitur I. Johannis Archiep. Constantinop. dicti Chrysostomi, Scriptoris Sec. IV. Enarrationem in *Epistolam Pauli ad Hebreos* hoc

titulo litera quadrata: *In hoc Corpore continetur Commentarius Sandi Johannis Episcopi Constantinopolitani. In Epistolam ad Hebreos ex Notis (απο σημειων) editum. Post eius Obitum a Constantino Presbitero Anthiocheno. Et translatum de Greco in Latinum. A Muciano Scolastico. Incipit Sermo*